DE

RHEUMATISMO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE VIII. MENS. AUGUSTI A. MDCCCXXXV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

JOANNES BRACHT
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:
L. KUERFGEN, MED. ET CHIR. CAND.
FR. SCHNEIDER, MED. ET CHIR. CAND.
F. SCHULTZ, PHIL. CAND.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO

VINCENTI BRACHT,

REGIO CONSISTORIO DUESSELDORPIENSI A CONSILIIS, COLLEGII CANONICORUM COLONIENSIUM SODALI, ORDINIS BORUSSICI DE AQUILA RUBRA EQUITI
ETC. ETC.

PATRUO DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Diu cogitanti mihi, quam potissimum materiam tractandam eligerem, illud statim apertum videbatur, quod cuidam eruditorum medicorum ignotum esset proferre longe difficillimum fore, praesertim quum ipse neque experientia doctus neque doctorum libris adeo imbutus sim, ut inde quod certum sit colligere valeam. Quod quum intellexissem, satius duxi, in adumbranda re minime quidem incognita, sed quae tamen a multis et olim ac forsitan etiamnum parum accurate constituta esset, quae ipse sentiam communicare: quamquam non meas ipsius sententias proferre potero, sed in iis mihi consistendum est, quae ex doctissimorum praeceptorum, Schoenleinii et Marci institutionibus imprimis mihi placue-

runt. Ad hunc usum **Rheumatismus** non ineptus mihi visus est, propterea quod in eo illustrando **Schoenleinii** sententiae, quamquam aeque hypotheticae ac ceterorum pleraeque, tamen insigni quadam consequentia expositae sunt et experientia probari videntur. Juvenilis autem mea imperitia si quid erraverit, ejus ab aequo judice veniam mihi fore spero.

DE RHEUMATISMO.

Rheumatismus, rheuma, rheumatalgia jam veteribus medicis (1) notus eodemque nomine significatus est. Haec appellatio cum eorum sententia de natura morbi congrua est: quippe cujus principium in fluido quodam, quod **acre rheumaticum** vocant, situm putarent. A qua sententia recentiores recesserunt, alii (2), rheumatismum

---

(1) **Hippocrat.** de loc. in hom. lib. sect. IV. p. 83. **Galen.** de cur. rat. per sanguinis emiss. p. 17.

(2) **Caelius** morb. chron. lib. II. c. 7. p. 382. **J. Frank** prax. med. univers. praecept. pars 1. vol. 1. p. 253.

catarrhi familiae adnumerantes, alii (3) eum cum arthritide confundentes, alii (4) eum nihil aliud atque inflammationem esse statuentes. Veteres autem acre rheumaticum morbi principium putantes meliorem fere rationem sequi videntur, quam imprimis ii, qui solam inflammationem agnoscunt: et curam priorum faustiores eventus habuisse experientia docuit; recentiores autem pro opinione sua antiphlogosin adhibentes, mox successibus parum faustis ad veterum curam revertendum esse viderunt. Nos quidem similem cum veteribus de morbo sententiam habemus, nisi quod acre illud non fluidum verum, sed fluidum electricum esse statuimus: a quo quum organismum liberare studemus, etiam cura similis est.

CHARACTER PHYSIOLOGICUS.

In constituendo charactere physiologico haec imprimis comprehendenda sunt.

1. Sedes affectionis plerumque est

α) in systemate musculari, tendinibus, liga-

---

(3) J. A. Murray de nat. arthrit. disquisitio. Gottingae 1785.

Stoll rat. medend. T. V. p. 465 sqq.

P. Frank delect. opusc. med. vol. II. p. 9 sqq.

(4) F. A. Marcus Entwurf einer speciellen Therapie. — Atque adeo J. Raimann rheumatismos quasi alterum ordinem inflammationum descripsit.

mentis, tela cellulosa. Est autem diversa in his systematis rheumatismi frequentia: saepissime affectus est musculus vasis abundans, rarissime tendines: intermedia sunt tela cellulosa subcutanea atque vasis pauper ligamentosus apparatus: quorum tamen altera saepius, hic rarius afficitur. Atque in universum frequentiae rheumatismi in aliquo systemate eadem ratio est, quae copiae sanguinis in eodem.

β) Etiam in formationibus muscularibus vel, ut alii volunt, in musculis inspontaneis rheumatismus observatus est, veluti in musculo cordis, uteri, tractus intestinorum et vesicae urinariae.

In nullis aliis organis nostra quidem sententia rheumatismo locus est, quum eum tam distincte a similibus morbis sejunxerimus; qui vero eum cum illis confundunt, etiam in membranis serosis ejus sedem esse dicunt (5).

2. Quum primum rheumatismus partem quandam afficit, ejus sensibilitas praecipue augetur: quae quidem auctio initio semper observatur, mox paralysis haud raro sequitur. Unde fit, ut affecta pars quam maxime sensibilis sit contra omnes, vel minimas, commutationes

(5) Raimann spec. Path. u. Therap. Bd. I. p. 377. Vogels Arzneiwissensch. Bd. II. c. 3. §. 109.

electricitatis in atmosphaera. Adaucta illa musculi sensibilitas doloribus se ostendit. Dolores trahentes, laucinantes, ferientes sunt, et omnino proprii quidam, haud dissimiles sensui illi, quem concipimus, si fluidum electricitatis apice adducimus.

3. Affectio rheumatica vaga et fugax est. Saepe in certo quodam loco oritur, in quo tamen raro se continet, quum contra plerumque etiam formationes homologas occupet. Atque adeo saepe quasi repentinis saltibus ad musculos convertitur, qui cum iis, quos primum conceperat, nulla tactus communione conjuncti sunt: aut etiam, quod tamen rarius est, continuitatem sequens ad musculos affines transit. Saliens morbi transitus aut a centro ad peripheriam, aut vice versa fieri solet; aut in musculis, qui antagonistica ratione sibi officiunt, ab altera parte ad alteram transitio est, quales sunt flexores et extensores: cujus rei exempla in musculis extremitatum, columnae vertebralis et exspirationis atque inspirationis multa observata sunt.

4. In organis, quae rheumatismus occupavit, hoc characteristicum est, quod secretiones acidum continent: atque illud imprimis in urina et sudore cernitur. Apud exanthema istud, quod in rheumaticis affectionibus saepe ut

exitus malus observatur, miliaria dico, fluidum excernitur, quod summo gradu acide reagit. De natura acidi in vesicula miliariorum contenti, sicuti de acido in sudore opiniones quidem satis multae propositae, accuratae disquisitiones et investigationes autem non communicatae sunt. Acida vero, quae in urina formantur, satis illustrata et explicata habemus: sunt ea acidum uricum, purpuricum, roseum (6).

5. Cutis, quae in statu normali semper electricitatem gignit, modo positivam, modo negativam, modo magna, modo minori quantitate praesentem, de cujus productione autem multa etiamnum obscura sunt, in affectionibus rheumaticis nullam prorsus electricitatem procreat (7). Itaque si, ut par est, cutem statu normali durante conductorem esse statuimus, qui electricitatem, intus productam, ad externum derivet; eadem hoc modo morbose mutata isolator erit. Vehemens iste et proprii generis dolor, si ad istam rationem respicimus, ex retentione electricitatis sub cute mox nimis auctae, oriri videtur: atque qui in vehementibus rheumatismis saepissime obvius est, hydrops ex illa ratione pro abnormi explosione electricitatis habendus esset. Aqua hydropica,

---

(6) Berzelius Thierchemie. 335.

(7) Müller Handb. d. Phys. Cobl. 1834. Bd. I. p. 70.

etiamsi certae et accuratae disquisitiones de ea desunt, tamen procul dubio apud rheumaticam affectionem alias proprietates possidet, atque in aliis morbis. Accedit, quod apud homines, quorum cutis nigrum colorem fere assequitur, rheumatismus longe rarior et minus vehemens est, quam apud eos, quorum alba et tenera cutis est. Quae coloris diversitas, ut constat, a majori vel minori accumulatione pigmenti carbonis in reti malpighio dependet. Itaque si carbonis facultatem electricitatis ducendae respicimus, hac observatione sententia nostra, qua rheumatismum ex nimia electricitatis sub cute retentione oriri putavimus, confirmatur, quum ipsum illud carbonis pigmentum ne illa retentio esse possit efficiat. Denique etiam huc pertinet, quod individua sensibilia, si rheumatismo laborant, metalla quaedam tangentia e. g. cuprum, repente rigescunt.

CHARACTER ANATOMICUS.

Paucae tantum mutationes materiales inveniri possunt; non nisi post affectionem, quae per majus temporis spatium et insigni gradu adfuerat, tam color, quam consistentia musculorum immutata est. Color mox insolenter ruber invenitur, modo fuscus; consistentia ad-

modum imminuta. In tela cellulosa, sub cute non minus, quam intra fibram muscularem, fluidum quoddam observatum est (8). Si etiam vehementior fuit affectio ejusque tempus longius, cognoscuntur musculi atrophici; et immutata hoc modo structura musculi, forma extremitatis conversa est: unde saepe ancylosis rheumatica procreatur.

REACTIO UNIVERSI ORGANISMI.

Saepe ad rheumatismum febris accedit: qui accessus his fere momentis efficitur:

1. Aetate: apud juniores enim saepius cum rheumatismo febris conjungitur;

2. Uniuscujusque individualitate: temperamentum sanguinicum, irritabile vasorum systema febrim facile adducunt.

3. Intensitate causae morbi;

4. Extensione affectionis;

5. Ejusdem sede; eadem ratione, qua musculus atque organum, quod affectio occupavit, dignius est, febris frequentia augetur. Frequens idcirco apud rheumatismum organorum respirationis et chylopoëticis, rarior apud rheumatismum extremitatum febris invenitur;

6. Eo, utrum nervorum an vasorum pars mu-

(8) Vogels Arzneiwissensch. Bd. II. c. 3. §. 109.

sculi a rheumatismo occupata sit; etenim apud rheumatismum vasculosum frequens febris est, rara apud nervosum.

COMBINATIONES CUM ALIIS MORBIS.

Frequentes rheumatismi combinationes cum aliis morbis sunt, inter quas imprimis hae memoratu dignae sunt:

1. Combinatio cum affectione catarrhali haud rara est, praesertim quum affectio rheumatica organum aliquod occupavit, quod ita constructum est, ut et membranam mucosam et musculum contineat. Ibi enim quum catarrhus in membranam mucosam, propriam suam sedem, se conjicit, musculus saepe a rheumatismo tenetur. Unde fit, ut quum collum rheumatice affectum sit, catarrhus saepe ad membranam mucosam se vertens laryngem vel tracheam occupet: quae est angina rheumatica catarrhalis. Item apud rheumaticam musculi intestini affectionem saepe catarrhus in membrana mucosa intestini invenitur: quae est diarrhoea rheumatica.

2. Combinatio cum processu erysipelatoso (9),

---

(9) Hunc statum morbosum eum intelligimus, qui ab aliis gastrico-biliosus nominatur, in affectione systematis venae portarum et jecoris consistit, magnam tendentiam ad formanda exanthemata ostendit et procreatione kali insignis est.

eadem haud rara. Quae si adest, rheumatismus speciem gastricam prae se fert, et una cum signis rheumaticae affectionis observantur, quae cum erysipelate conjuncta sunt; lingua obtecta, gustus amarus, cephaloea, urina erysipelatosa.

3. Combinatio cum inflammatione; cujus combinationis duplex est ratio. Aut enim combinatio interior est, ita ut alter processus alterum penetret: qua conjunctione rheumaticae phlogoses, quas vocant, oriuntur. Sunt istae insignes vagatione affectionis, celeritate, qua sedem relinquunt, facilitate recidivae, propria ratione criseos per cutem, et proprietate dolorum. Aut etiam uterque morbus separatim procedit: namque si affectio rheumatica ad aliud organum prope situm transit, quod utpote neque musculus, neque ligamentum neque tendo, neque denique tela cellulosa aut formatio muscularis, a rheumatismo ipso affici non potest; facillime in hoc organo congestio et inde inflammatio producitur. Itaque musculis ventris rheumatice affectis si irritatio usque ad peritonaeum propagatur, peritonitis oritur. Eodem modo apud rheumatismum musculorum pectoralium pleuritis, musculorum capitis meningitis observatur. Hic transitus affectionis rheumaticae ad inflammatoriam imprimis perspicue apud oculum cognoscitur: statim enim conjunctivitis apparet, simulac rheumatica affectio musculorum oculomotoriorum usque ad conjunctivam se propagavit (10).

(10) Schoenleinius aliquando, de diversorum organorum ducendi facultate pro phlogistico morbi pro-

Praeter has combinationes, quae longe gravissimae sunt, quaedam etiam cum aliis morbis, veluti scorbuto (11), hysteria etc. observatae sunt: quas hoc loco omittimus.

DIAGNOSIS.

Nobilissima et propria signa morborum rheumaticorum in describendo charactere physiologico commemoravimus. Itaque diagnosis hoc loco non nisi ea praecipue momenta ante oculos ponere debet, quibus duo alii morbi, inflammatio et arthritis, uterque cum nostro antea saepe confusus, vel certe non satis accurate ab eo disjunctus, a rheumatismo differant.

Ab inflammatione, quae quemadmodum cum rheumatismo conjuncta inveniatur de morbi combinationibus disserentes diximus, desunt phaenomena productionis acidorum in urina et sudore; quum contra urina propriam illam phlogisticam speciem ostendat: desunt etiam proprii illi dolores, qui uti pulsus electrici afficiunt et spontanei oriuntur. Apud inflamma-

---

cessu disserens, telam cellulosam isolatorem appellat et minimam laminam telae cellulosae e. g. inter pleuram et musculos intercostales apud pleuritidem inflammationem a musculis retinere posse contendit. Sed pro rheumatico morbi processu tela cellulosa bonus ductor est. Propagatio rheumaticae affectionis e. g. usque ad pleuram idcirco facile explicatur. Affectio pleurae autem omnia indicia inflammationis praebet: quae inflammatio sola et sejuncta consistit, neque ab affectione musculorum dependens, neque ad eam reagens, nisi quod inde originem habet. Quam ob causam membranas serosas non in organis numerare potuimus, quae rheumatismo subjecta sunt.

(11) cf. Sydenham opusc. univers. Sect. VI. c. 5.

tionem enim dolores nunquam spontanei procedunt: quos qui pro signo inflammationis habebant erraverunt. Inflammatum enim jecur aut tonsilla dolores non excitat, nisi apud pressionem alterum, altera apud vorationem (12). Denique illae formationes, quas rheumatismus occupare solet, haud ita facile inflammationem admittunt: quae si quando in eas incidit, illud certe proprium habet, ut non tam vaga sit, quam rheumatismum esse diximus. Cum his omnibus si propria quaedam inflammationis signa conjungimus, veluti compositionem sanguinis, qualitativam et quantitativam mutationem productorum secretionis et formationem novorum vasorum: vix quisquam, credo, utrumque processum morbosum certo distinguere dubitabit.

Non minus processus arthriticus a rheumatico discedit. Gravissima momenta ad distinguendum utrumque morbum symptomata affectionis in systemate venae portarum: quae symptomata arthritidis propria esse satis notum est; a rheumatismo autem prorsus desunt. Tempore vero excretionis producti pathici,

---

(12) Schoenleinius concedit organum in statu inflammatorio contra externa irritamenta sensibilius esse, et ejus nervos mutationem sanguinis, pulsationem et temperaturam percipere. Dolorem oriri, simulac hae influentiae agerent. Ad eam sententiam, quam ipse communicavi, dolorem a signis inflammationum sejungendum esse, forsitan vetere medicorum opinione ductus est, qui ubicunque dolor adesset, inflammationem videre sibi videbantur. Ceterum nervum inflammationis paulum tantum participem esse, negari nequit; origo saltem et doloris modus atque ratio a rheumatico prorsus diversa sunt.

quod systemate venae portarum continetur, oriente simul febri cum doloribus trahentibus in regione sacrali, si per venas, in articulis, si per arterias excretio fit; tum demum utrumque morbum facile confundere posset, qui ad genesin non respiceret. Procedente morbo iterum periodicitas ejus phaenomenorum, certissima apparentia apud haemorrhoidas, processus eruptionis in cute et stadium desquamationis apud podagram diagnosin certam redderent (13).

Analysis chemica producti pathici etiamsi non praecipuum quoddam auxilium ad confirmandam diagnosin suppeditat, tamen utrumque morbum diversum esse argumentis satis idoneis ostendit. De qua re quae disquisitiones factae sint, nimis notum est, quam quas accurate commemoremus: eodemque modo resultata sectionis, quae opinioni illi de identitate utriusque morbi directe contradicunt.

Itaque quamquam propriam quandam morborum familiam rheumatismis effici certissimum est, tamen eorum conjunctio cum arthritico processu, quae jam dudum ob-

(13) Macbride syst. Einleit. in die theor. u. pract. Arzneik. p. 702.

Cullen Anfangsgr. der pract. Arzneiwiss. Bd. I. p. 307.

Tode med.-chir. Bibl. Bd. II. St. 3. p. 146.

Lentin memorab. circa aërem, vitae genus, sanit. et morb. Clausthaliens. Gott. 1779. p. 122.

Th. Winters Bemerk. über die Fehler, die beim Gebrauch der Arzneien begangen werden; aus dem Engl. Leipzig 1776. p. 49 sqq.

servata est, prorsus negari nequit: praesertim quum semper comprobatum fuerit, individua quae in juventute a rheumatismis vexata sint, post aliquot annorum spatium evanescente affectione facillime ab arthritide occupari.

AETIOLOGIA.

Inclinationem ad mala rheumatica cutis tenera, alba et sensibilis exhibet, quae ad vehementem secretionem (sudorem) admodum proclivis est aut ubique per totam extensionem, aut singulis quibusdam locis. Ejusmodi cutis natura plerumque agnata est; neque tamen haec constitutio rheumatica eadem semper manet, sed in juventute et calidiore anni tempore potissimum adesse solet; minus saepe aut plane non adest serioribus annis et hieme, quibus secretio per cutem fere recedit. Idcirco, scilicet quod cutis constitutio ad hanc rem maximi momenti est, ab emollescentia et corroboratione plurimum dependet, an quis saepe a rheumatismis occupetur, necne. Tum ad frequentiam morbi hoc praecipuum momentum est, an individua jam antea aliquoties rheumatismo laboraverint, quum post singulam quamque affectionem proclivitas ad eam mirifice augeatur. Denique ad interna momenta laesiones ossium aut apparatus ligamentosi numerari possunt (14), quae si praecesserunt, saepe sine ullo externo impulsu incommoditates rheumaticae sequuntur.

---

(14) Vogels Arzneiw. Bd. II. c. 3. §§. 128 et 98.

Ex momentis externis is atmosphaerae status primo loco commemorandus est, quem rheumaticam constitutionem vocant, scilicet repentina temperaturae mutatio, imprimis ex calida in frigidam, atque aëris nimia completio aqua liquida aut vaporiformi, quibus praecipue illa constitutio insignis est. Verisimillime etiam electricitas aëris non sine magno quodam momento est (15). Quae quidem constitutio rheumatica exeunte auctumno frequentissima est, deinde etiam aestate post tempestates, rarior autem vere.

Causa occasionalis denique saepissime repentina oppressio secretionis per cutem est, quae fieri solet nimio et subito aëris motu, pluvia, aut quibuscunque aliis causis.

INCESSUS RATIO.

Auctumno, aestate et vere rheumatismus plerumque epidemice procedit, faventibusque atmosphaerae conditionibus genius epidemicus fit. Quemadmodum unusquisque morbus epidemicus, qui a propria quadam atmosphaerae constitutione dependet, iisdem aëris conditionibus diutius permanentibus quasi stabilis fieri potest et deinde etiam commutata illa atmosphaerae constitutione non exstinguitur, sed aut alias morborum formas reprimit aut proprie modificat: sic etiam rheumatica constitutio si nimis longum tempus perduravit; jam quum atmosphaerae illa constitutio evanuerit,

(15) Müller Handb. d. Physiol. Bd. I. p. 70.

genium epidemicum repraesentare potest. Qui genius epidemicus rheumaticus eo insignis est, quod et ipsi rheumatismi morborum frequentissimi sunt, et praecipue plurimi morbi acuti cum propriis doloribus in musculis et articulis conjuncti inveniuntur, aut statim, aut procedentibus morbis, aut tempore criseos, et magnam inclinationem ad crisin per cutem ostendunt, quae saepe ut perniciosa miliaria cernitur. Ex hac inclinatione, quam genius epidemicus rheumaticus aliis morbis tribuit, illud explicari potest, quod eum saepissime epidemiae exanthematum cutis, morbillorum, scarlatinae, variolae etc. sequuntur: quod si prognosin spectamus, medico gravissimum esse potest. Attamen in constitutione atmosphaerae mutationes fieri possunt, quae tendentiam ad cutem rheumatismis productam prorsus reprimunt; quo facto genius exanthematicus non accedet.

DECURSUS.

De morbi diuturnitate in universum nihil constitui potest: quum quaedam formae peracutae sint, ut intra paucos dies cursum finiant; aliae acutae, aliae subacutae, aliae denique chronicae. Acutae autem chronicae fieri possunt, et chronicae usque ad acutas provehi. Formae chronicae intervallis interruptae sunt: quibus praeteritis redeunt. An vero febris affectiones rheumaticas comitetur, ejusque character ad morbi decursum maximi momenti est.

EXITUS.

1. **Exitus in sanitatem.** Hic exitus semper crisibus adducitur aut per cutem aut urinam, quae crises quo magis acute vel chronice morbus decurrit, copiosiores aut minus copiosae sunt. Crisis per cutem gravissima est. Proprietates sudoris quales sint, jam antea diximus. Sed tamen plerumque complures impulsus necessarii sunt ad crisin complendam, et rarissime uno impulsu res perficitur. Minus constans, quam sudor, crisis per urinam est, et apud formas chronicas haec plerumque deest, neque nisi per complicationem interdum adducta, ubi sedimentum similitudinem quandam cum arthritico habet. In morbis acutis sedimentum, quod apud eos frequenter observatur, luteum est (*isabellgelb*). Praeter has criseos rationes saepe etiam critica cutis eruptio in labiis et alis narium accedit: quae etiam haud raro in toto corpore cernitur, et optimam prognosin rheumatismi praebet. A scabie, quacum haec eruptio confusa interdum est, revera multum differt. Primum enim diversa originis causa est; tum exanthema apud nostram eruptionem forma vesiculae, non papulae invenitur, quae vesiculae non acuminatae, sed globiformes sunt, et in medio punctum suppurationis non habent; denique exanthema rheumaticum non contagiosum est et nonnisi unam eruptionem facit. Itaque non satis accurata fuit appellatio scabiei rheumaticae. Quibus igitur crisibus

si sanatio adducta est, tamen aliquod per tempus debilitas et oppressa quodammodo motio musculorum antea laborantium remanet, et proclivitas ad recidivas permagna est. Certissimum indicium morbi non prorsus finiti, etiamsi jam largae crises intraverunt, pulsus ratio est: quum ejus frequentia aut constans, aut tantum post faciles aegroti motiones, semper redintegrationes non defuturas ostendat; et quamdiu haec pulsus ratio permanet, medicus quoad prognosin cautus esse debet.

2. Exitus in sanationem incompletam. Musculus incipiente morbo in statu irritabilitatis occupatus sub finem totam irritationis excipiendae facultatem amittit; et hic exitus ad paralysin plerumque apud rheumatismum nervosum observatur; aut musculus rigescit et rheumaticae contracturae oriuntur, quibus praesentibus ossa saepe curvescunt et deformationes adducuntur (16): quod non solum in musculis extremitatum, sed etiam cervicis atque adeo trunci cernitur. Non minus frequens exitus est ad bubones (bubones rheumatici) (17).

3. Exitus in alium morbum. Transitus rheumatismi in inflammationem valde frequens est, praesertim quum affectio, quod supra monuimus, ad partes transit, quae a

(16) van Swieten Comment. in Aph. Boerh. T. V. p. 658.

(17) Vogel's Arzneiwissensch. Bd. II. c. 3. §. 107. Theden neue Bemerk. und Erfahr. p. 57. 133. f. Stoll rat. med. P. III. §. 132 et 33.

rheumatismo occupari non possunt. Facillimus hic transitus ab iis musculis est, qui cum membranis serosis coniuncti sunt: cuius generis exempla supra laudavimus.

Apud individua, quae rheumatismo chronico laborant, provectiori aetate sunt, hereditariam aut constitutionalem inclinationem ad podagram habent, transitus in podagram evenire potest. Tum affectio characteristica systematis venae portarum se excolit: quo facto repente eliminatio apparentibus podagraicis irritationibus sequitur. Medicus illud imprimis spectare, et semper chylopoesin accurate inquirere debet.

Post rheumatismos nervosos saepe neuralgiae oriuntur, quae pro diversis sedibus diverse nominantur: in extremitatibus ischias, apud musculos dorsales lumbago, in musculis faciei prosopalgia Fothergilli.

Tam apud chronicos, quam acutos rheumatismos miliaria oriri possunt, saepissime vero apud acutos apparentibus his signis: sudor copiosissimus fit, et cadaverosum (moderig) odorem habet, cutis tactu ardens est; anxietates pectoris oriuntur et in digitis atque pedibus dolor punctitans (kribbelnd) sentitur. Eruptio miliariorum deinde paucis horis sequitur.

4. Exitus in mortem. Mors raro solum rheumatismum sequitur; sed in quos morbos ipse saepius exire solet, ii, si mors intravit, plerumque eam adduxerunt. Sic accedente inflammatione exitus saepe lethalis est;

eodemque modo, si apud rheumatismum nervosum transitus ad paralysin fuit, quae sensim ab externis partibus ad internas propagatur; denique etiam apud exitum in miliaria, siquidem haec recedunt, mors haud rara est.

PROGNOSIS.

Prognosis apud rheumatismos diversa est pro diversis sede, extensione, vehementia, combinatione, absentia aut praesentia febris ejusque vehementia et charactere.

1. Individua cum tenera, alba, sensibili cute, quae facile sudorem emittunt, maiori in periculo versantur, quam quae cute sicca et subnigra sunt: quapropter sexus muliebris magis, quam masculus.

2. Rheumatismi etiam cum maximis doloribus donec in externis partibus manent, periculosi non sunt, nisi forte vehemens febris inflammatoria accedat et haec adeo nervosum vel torpidum characterem ostendat.

3. Magna affectionis extensio et vehementes dolores ad augendam febrim et prolongandum morbum conferunt, et idcirco magnam debilitatem aut maciem relinquunt, una cum magna proclivitate ad recidivas.

4. Combinatio cuiuscunque modi est, semper pro malo indicio habenda.

5. Rheumatismus vagus semper dubiam prognosin praebet; saltus a partibus externis ad internas periculosiores sunt, quam ab internis ad externas. Morbus si in organa in-

cidit, in quibus inflammationem excitat, vitam in periculum ducere potest.

6. Rheumatismi afebriles minori quidem cum periculo, quam febriles, decurrunt; sed febris ad sanationem completam et crisin sufficientem fere necessaria est. Character febris autem proxime constituit, an aegroto timendum sit, necne. Mala est febris inflammatoria, peior etiam nervosa. Denique apud rheumatismos febriles proclivitas ad procreanda miliaria maxima est, et miliaria prognosin admodum dubiam reddunt.

THERAPIA.

Indicatio causalis revera nulla est, propterea quod originem morbi impedire aut eius causam removere non possumus: est autem quaedam prophylaxis, et ea quidem summo gradu ibi instituenda, ubi homines saepius rheumatismis laboraverunt et iis vitae conditionibus degunt, quibus affectionibus rheumaticis fere semper expositi sunt. Prophylaxis duplici ratione institui potest.

1. Cutis contra vim noxiorum momentorum corroboratur; unde methodus roborans nominata est. Quae roboratio lautionibus liquore, cuius temperatura sensim minor fieri debet, efficitur; initio aqua adhibetur, mixta cum spirituosis, subcalida (15 — 16° R.); tum sensim usque ad aquam frigidam descenditur (5 — 6° R.); et denique aqua gelida usurpatur. Adhibenda autem haec methodus ma-

gnam cautionem necessariam facit, utpote quae apud individua cum tenera, ad sudorem propensa cute vehementem eius sensibilitatem et copiosos atque effrenatos sudores excitare possit.

2. Noxia momenta directe removentur. Quem finem assequuntur ferendis vestibus, quae mali caloris ductores sunt et una continua tritione excitationem electricitatis et secretionem cutis aptam reddunt. Quam maxime ad hunc finem flanellum commendandum est, quod in ipsa cute feratur. Haec methodus minus periculosa est quam methodus roborans, et resultatum optimum: est autem in ea instituenda magna consequentia necessaria: ita ut illa tectio, si quando eam receperis, neque aestate, neque noctu deponi debeat: quod si fieret, certo recidivae inciderent.

Indicatio morbi haec respicere debet:

1. Febrim. Si febris cum morbo conjuncta est, cura ad ejus characterem aptari debet. Apud characterem erethicum methodus exspectativa, apud synochalem antiphlogosis adhibenda est. Si febris torpidum characterem recipit, cura pro diverso cutis statu diversa est. Quae si sicca, rigida, non secernens est, secretio diaphoreticis efficienda est: quo facto si sudor provenit, febris characterem erethicum accipit. Contraria fere cura est apud colliquationes cutis, apud parvum et debilem pulsum, et si vires aegroti semper minores fiunt. Quae cura in eo constat, ut detur aqua chlorinica, acidum nitricum etc.,

et lautiones cum aceto, acido muriatico aut sulphurico diluto atque adeo kali caustico commendentur.

Febri non praesente saepe necessario artificiosa excitari debet. Ad procreandam febrim universalem interna et externa remedia adhiberi possunt:

a) Interna: camphora, valeriana, ammoniacum etc. Quae remedia falso pro specificis antirheumaticis habita eo tantum agunt, quod irritando corde et systemate vasorum febrim artificiosam excitant. Crisis per cutem post aliquot horas proveniens finis adhibendorum illorum remediorum est: quae propterea non nisi apud rheumatismos afebriles adhibenda essent, atque ibi adeo admodum caute. Ad dosin et electionem remediorum experimenta facienda sunt. Ab lenissimo remedio parva dosi incipi et usque ad id procedi debet, ut post dosin calor internus, pulsus frequens, mollis et spirans cutis cernantur et denique sudor proveniat.

b) Externa: vapores, balnea ex vaporibus aquae, praesertim sulphuris. Hac ratione item febris artificiosa procreatur; pulsus in balneo augetur usque ad numerum centum viginti aut triginta; cutis turgescit, calida, humida et spirans fit, et denique sudor copiosus profunditur. Balneorum igitur vis praecipua est, propterea quod febris excitatur et una topicae indicationi obeditur: sed non nisi apud chronicos, afebriles rheumatismos adhibenda sunt.

2. Topicam affectionem. Opera danda est, ut cutis, quae ductor electricitatis esse desiit, in pristinum hunc statum redeat. Ad quod perficiendum varia admodum remedia sunt: tritio cutis, imprimis loci affecti, ab alio individuo instituenda; tritio cum lana, flanello, rebus ex crinibus animalibus factis etc.; frictiones cum ammonio, lenimento volatili etc.; rubefacientia, vesicantia, aqua fervens, unguentum et pulvis tartari stibiati. Methodus jam dudum adhiberi solita acupunctura est, quae non nisi in partibus externis usurpari potest, et idcirco apud vehementissimas morbi formas, apud rheumatismos capitis, cordis, uteri adhiberi nequit. Non solum mechanice agere videtur, acus enim non intruditur, sed sensim rotando immittitur, ne quid laedat, sed fasciae vasorum et musculorum recedant; sed etiam praecipue dynamice agit evacuatione electricitatis sub cute accumalatae: quod praeter usus rationem hoc probatur, quod apud chronicos nervosos rheumatismos electio metalli qualis fiat non perinde est.

Ad acupuncturam accedit methodus, ex qua locus affectus acubus altera argentea, altera cuprea leniter teritur, mox una cum utraque, mox alternis. Quum autem in hac methodo inter conductorem et electricitatem accumulatam medium isolans intersit, quapropter vis praedicata non comprobata sit explicatu facile est.

Denique etiam electricitas et galvanismus

adhibita sunt: de qua methodo experientiae nondum sufficiunt, ut, quicunque casus oriatur, ei rectum modum constituere possis. Non enim utrum positiva, an negativa electricitas agat perinde est; item utrum aegrotum in isolatorio electricitate obruas, an minores tantum copias immittas.

VITAE CURRICULUM.

Joannes Bracht natus sum Recklinghusii in Guestphalis, ex patre Franc. Bracht et matre Carolina e gente Jeibmann, quibus adhuc viventibus gaudeo, anno hujus saeculi undecimo. Fidem profiteor catholicam. Primis literarum elementis privatis praeceptoribus imbutus sex annos Gymnasium Recklinghusanum frequentavi, unde testimonio maturitatis donatus Bonnam me contuli, ibique rectore magnifico Ill. Gieseler inter cives academicos receptus a decano spectabili Ill. Harleſs in album facultatis medicae inscriptus sum. Bonnae annum et sex menses versatus hasce praelectiones audivi: Physicam experimentalem apud Ill. a Muenchow; encyclopaediam et methodologiam artis medicae, et physiologiam apud Ill. Mueller; osteologiam apud Ill. Weber; anatomiam apud Ill. Meier; logicen et psychologiam

apud Ill. a Calker; mineralogiam apud Ill. Noeggerath; zoologiam apud Ill. Goldfuſs; botanicen apud Ill. Treviranus; chemiam experimentalem apud Ill. Bischoff; artem obstetriciam apud Ill. Kilian.

Inde ad universitatem Herbipolensem me contuli, ibique rectore magnifico Ill. Seiffert civibus academicis adscriptus has praelectiones audivi: Materiam medicam, artem formulas recipiendi, pharmaciam et chemiam apud Cel. Rumpf; chemiam theoreticam et artem operationes in caduveribus rite instituendi et fascias adligandi apud Ill. Jaeger; artem obstetriciam theoreticam et practicam apud Ill. d'Outrepont; therapiam et pathologiam specialem apud Ill. Schoenlein et Ill. Marcus; botanicen officinalem apud Ill. Heller.

Herbipoli relicta Berolinum petii, ubi rectore magnifico Ill. Strauſs civibus academicis, decano spectabili Ill. Busch medicinae studiosis adscriptus per anni spatium frequentavi clinicum medicum duce Ill. Bartels; policlinicum medicum et chirurgicum duce Cel. Truestedt; clinicum chirurgicum duce Ill. Rust; clinicum medicum duce Cel. Wolff.

Jam vero tentaminibus philosophico et medico, atque examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero, fore ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. *Synchondrotomia prorsus rejicienda.*
2. *Morbi remedia validissima.*
3. *Inter arthritidem et rheumatismum diagnosis certa.*
4. *Sensus fallunt.*